

num κατάρματα, impostores & sanguinis humani hirudines, tanquam ex equo quodam Trojano prodeant. Et sane nasci hos sponte, non aliter, ut mures Ægyptii & ranæ, vel oriri ut pulices ex lotio canino, putamus. Hinc factum, ut nulla in toto terrarum orbe amplior reperiatur familia, quam Hermetis & Æsculapii, & exinde nulla gens Medicis contemptior existat, non quidem propter artem; sed personas, ex omni genere nequitiarum ad Medicinam, ut ad *ἀσυλον ἰερόν* quoddam, confugientes. Quis enim histrio, miles, circulator; quis tonsor, seplasiarius, balneator; quis monachus, mercator; qui parochi πολυπράγμωνες, Juris apostatae, Pharmacopœi elatae mentis, opifices ignavi, aurifabri inepti, non Medici videri pruriunt? Chymiae procum se jactitant, eique, si possunt, stuprum inferre satagunt, Imo quæ aniculae, saggæ, veneficæ, pacto forsan cum stygio

gio